Opuscula

DOLORES PUBLICI,

Comites Fatorum;

CELSISSIMI PRINCIPIS,
ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI

D. JOSEPHI

DUCIS in KLEWAN, KORZEC, & OLEXIENIEC

CZARTORYSKI,

Magni Ducatûs Lithvaniæ
VEXILLIFERI,
dum Ei
Justa Parentalia
in Archipresbyterali B. V. MARIÆ Ecclesia,
Craćoviæ in Circulo sita, exsolverentur;
nomine obligatæ Celsissimæ Domui Universitatis Cracoviensis,
per

M. ALBERTUM, JOANNEM CANTIUM
BIEGACZEWIC,
Philosophiæ Doctorem, Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ Professorem, Collegam Majorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Cancellarium,

lugubri calamô,
ad perennem tanti PRINCIPIS memoriam,
pallentem in paginam

EFFUSI.

Annô Domini 1750. Die 23. Novembris.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Avitum decus Domûs Celsissimæ.



Quò POGONIA ruis? districto quem ense requiris?
Fata meum quæro, quæ rapuere DUCEM.
Fata requirendi superest cum nulla potestas,
PUBLICUS hæc repetat, publica damna DOLOR.

CELSISSIMO PRINCIPI, JLLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. STANISLAO KOSTKA, DUCI in KLEWAN, KORZEC & OLEXIENIEC CZARTORYSKI, Magni Ducatûs Lithvaniæ VENATORI, Filio super fatis Patris sui mæstissimo.

PUblicorum dolorum compendium, quos recentia Magni Principis Patris Tui dilectissimi, ex omnium cordibus, ceu torculari quodam expresserunt fata, non minùs aliis mœsta Mater Universitas, Tibi defert Princeps Celsissime, Venator Illustrissime. *Illi equidem cùm alios summè, Te attigerunt maximè; ad Te maximè spectant. Gravis est omnibus optimi jactura Principis, Tibi dilectissimi Parentis gravissima. Fueras Tu PRINCEPS, cordi viventis Genitoris, oculus, pupilla, & unicum solatium, fuit adinvicem Tibi Filio, summo superstes solatio Parens, malignantibus fatis è vivis subductus, cordis mœrori, & oculorum dolori debet esse ingenti. Tibi quidem Principi, cùm mors Patris amantissimi acerbissima sit, publicam ex ea emergentem jacturam, nec publicus satis unquam defleret oculus, nec publici satis pensarent dolores, nisi magnum, quem deploramus amissu, in Te ipso restitueres nobis Parentem. Videmus Eum in Te acsi So-*

lem in radio, aut in lucidissima crystallo solis radium. Spirat in vultu Tuo, spirat in generosissimo pectore Dux magnanimus. Vivit in Te, parte sui meliore, animô nempe illo excelsô, sublimi, heroicarum cogitationum vastissimô receptaculô, operum immortalitate dignorum authore & artifice clarissimo, quem qualem à magnis Ducibus accepit, talem in Te transfudit. Venisti PRINCEPS desideratissimo Parenti ille Filius, in quo viveret etiam post fata superstes, nec moreretur totus, donec in Te viveret; si evenire posset, quomodo optamus, ô utinam æternùm. Successisti Magno Parenti, acsi Trajano Nerva, Augusto Julius, idest optimo PRINCIPI, optimus PRINCEPS Filius. Diceris & es unicus Ducis Celsissimi Hæres, non solùm autem Nominis & fortunæ, astquoq; gloriæ, meritorum, & excellentissimarum virtutum. Fulges his omnibûs, quibûs Pater Celsissimus fulsit, omnes in Te eo culminant fastigiô, quô culminârunt gloriosissimo in Patre, scilicet omnes in Te tantæ videntur, quantæ maximos PRINCIPES & decent & ornant. Videmus in Te summam rerum gerendarum dexteritatem, animi prudentiam omnibus publicis negotiis parem, patriarum legum notitiam, æquitatem mentis, conscientiæ teneritudinem, vitæ & morum probitatem, pietatem in DEUM, in Templa, pauperes, & egenos munificentiam, magnanimitatem cordis, affabilitatem oris, amorem in Patriam, studia in Rempublicam, officia in in pares, humanitatem in minimos, benevolentiam in singulos; & cum hæc videmus; quem ploramus mortuum, gaudemus in Te superesse Celsissimum Ducem, desideratissimum æquè ac gloriosissimum Patrem. Reddimus ergo Tibi publicos Poloniæ, Lithvaniæ, Ecclesiæ, Domusq; Celsissimæ, ex obitu magni Parentis conceptos; & lugubrem effusos in paginam dolores. Solatiis verò publicis cum solus cum prole tua Celsissima sis, qui defunctum restituas Patrem; Te PRINCIPEM, Consortem Celsissimam, JOSEPHUM, FRANCISCUM & CONSTANTIAM Ducalis nobilissima pignora Domûs, ut boni Superi longævûm incolumes servent; Cantianas precabimur ad Aras.

Ita vovet.

Celsitudinis Vestræ

infimus Cliens A. O.

DOLORES PUBLICI,

Fatorum PRINCIPIS VEXILLIFERI *Comites.*

Mortis classica, non Martis insonant.
Castra metare dolor!
Næniæ omnes & Præficæ, confertis sistite phalangibus!
Procul festive Pœan, celeusmata procul.
Lugubre hic Admeti melos,
vel flebilis Harmodii cantilena canenda.
Appage cum fesceninis tuis,
Comice omnis & genialis Satyra.
Non genio ulli, sed soli mærori theatrum panditur.
Quæcunq; lugentium in Trophonii antris tenebaris cohors,
publici ad castra doloris te voco.
Tali scenæ, talis convenit choragus.
Nulli hic profectò locus;
nisi cujus solæ lachrymæ,
pondera vocis habent.
Quinimo
nec ipsæ lachrymæ vocales,
nec ipse dolor loquax hic esto.
Aliàs
Parvæ curæ loquuntur, ingentes stupent;
Doloris qui mensuram excesserit, maxima confessio,
stupor & silentium.

Contra malignitatem fatorum,
si intra privata dispendia substiterit,
facile dant nobis ingenium lachrymæ.
Minuimus dolorem, quem cum lachrymis egerimus,
Eluimus acerbitatem cordium, dum lugemus.
At verò
publico damno & dispendio,
nec lachrymæ singulorum sufficiunt, neç singultus.
Funera privatorum, paucorum absolvuntur luctu;
Magnorum Virorum pheretra,
doloris publici vastissima sunt theatra.
Evelle humiles myricas furens Æole,
nisi eminentem Cedrum à radice moveris,
necdum diras in te omnes Libanus evomet.
Ruite minores columnæ,
adhuc integræ moles & immotæ machinæ stabunt.
Collabente Solis Rhodio Colosso,
non solùm Rhodus, etiam Asia intremuit.
Maurus Atlas,
si sub immensa concideret mole,
an non Lybia, totis terræ marisq; deficeret fibris?
an non tota cum Achille Græcia?
an non Ilium cum Hectore deficeret?
Admodùm
Ingentes animæ, non suâ tantùm ruinâ cadunt.
Fata vulgi communia,
naturæ debito & communi necessitudini imputamus:
Ubi verò
excordes Parcæ, sine delectu, sine mente,
æquè in palatia sæviunt ac mapalia,
sceptra ligonibus, paludamenta centonibus æquant,
Ægonesq; cum Cæsare miscent;
lachrymas quærimus in lachrymis,
nec inter profusissimos cordium luctus,
sufficientem publicæ jacturæ invenimus dolorem.

Sic

Sic omnino

Pallentibus purpuris, Orbis faciem pallor invadit.

Principum inferiæ, gentium solatia feriunt.

Magnorum Virorum cineres, Regnorum

vultum & splendorem funestant.

Nec aliter

Hominum gemmæ intereunt, quàm gemmæ maris nascuntur;

Scilicet inter solos cordium fragores,

& dolentium animorum tonitrua.

Triste mortis convolutus in Syrma,

Ducalis CZARTORYSCIÆ Purpuræ splendor;

huc Orbis Poloni pallores!

Fatali lesso

Sepulchralem ad lapidem,

CELSISSIMUS offendit POGONIA;

huc lachrymæ! huc citi gemitus!

Gemma Ducum in KLEWAN & KORZEC,

morti in spolium cessit;

huc cordium æstus, huc animorum procellæ!

Ex Orbis facie,

ferales inter umbras subductus,

PRINCEPS JOSEPHUS CZARTORYSCIUS,

huc tanti sequaces PRINCIPIS,

densissimæ mærentium catervæ!

Qui in Martis nunquam, cecidit in mortis acie,

Magni Ducatus Lithvaniæ VEXILLIFER,

publici assurgite dolores,

& individuos Vexilliferi comites agite.

Omnium lugendus lachrymis, qui omnium commodo,

omnium amoribus vixit.

DOLOR

DOLOR
POLONIÆ.

Calami blandimentis nemo ſuccenſeat.
Si Te ô Polonia,
vel Latonam, vel Deorum Parentem
Berecyntiam dixero.
Enimverò
Quotquot illuſtria Magnorum Virorum,
dediſti in lucem Nomina,
tot vel Palladis vel Numina Martis.
Frigida ſub Arcto,
nunquam frigidos partus, nunquam paſſa exſangves.
Bellaci ferrô opulentior, quàm aurô,
aureo ſemper ab ævo, generoſiſſima ſuſcipiebas pignora,
quæ Martii uſibûs ferri,
auream Tibi evincebant & fortunam & ætatem.
Antiquo Romanorum Latio,
& Roma veteri nihilô poſterior.
Orbis quidem licèt non Domina,
non tamen alicujus in Orbe vel ancilla vel ſerva.
Præ gentium ſpoliis,
injectisq́, gementi terrarum Orbi ferreis compedibus,
avita generoſiſſimæ ſtirpis libertate,
& nobilior longè, & commendatior.
Arces Tarpejas & Capitolia non oſtentans,
Marcellîs & Scipionibûs, Fabiîs & Catonibûs Tuis,
qui tam armorum trophæis, quàm conſiliorum triumphis,
omne implerent Capitolium, nunquam caruiſti.
Eheu!
Inclyta ſagô togâq; Mater,
acerbas temporum vices, luge acerbiùs.
Tantumne fatorum furori, in Te licuit?
ut non uno vix ictu, tot tibi eriperent corcula,
quot Decios eripuerunt vel Naſicas.
Procul procul geniales Latonæ vultus!
Ad mortale Principis CZARTORYSCII marmor,
iterum novam age Nioben Lechia.

Uno

Uno Ille Tui amore.
amores complexus omnes,
Dolore Tu illius uno,
eccur non omnes complectaris dolores?
Spongiam oculis luctuosæ Matris porrigerem,
nisi & tota lachrymarum diluvia non sufficerent,
ubi cordis spiracula deficiunt,
vel oculorum excidunt pupillæ.
Fatîs prorsus malignantibûs,
excidit è corona Sarmaticæ Aquilæ gemma,
è visceribus Patriæ, amor & cordis medulla,
è numero optimorum Poloniæ Civium,
Civium amussis, norma, & compendium,
Civis aliàs non bonis duntaxat, ast & optimis melior.
Excidit è fronte Reipublicæ,
frons ipse Primorum, frontis oculus,
oculi jubar & pupilla,
PRINCEPS JOSEPHUS CZARTORYSCIUS.
Ducis titulô ornavit Poloniam, factis gentis gloriam.
A genere & origine, Princeps dici non contentus,
meritîs, zelô, & in Patriam obsequiô,
inter primos Princeps, inter Principes fuit primus.
Dotem Principum unicam, suam voluit esse singularem;
Non sibi se natum, sed toti credere Orbi.
Vitam ergo suam, ut sibi minimè duceret,
commodo totam publico, & impendit & duxit.
Splendore natalium illo,
quô ipsas Solis æquâsset cunas, in lucem editus,
lucem animi & sapientiæ jubar,
in Academicis Regiæ Palladis quæsivit umbris,
collegitq; tantum,
quod in maxima Orbis facie, avitos Purpuræ ornaret fulgores.
Regiæ post Castra Palladis,
Regni Bellonam secutus,
quàm utriq; fidelis,
tam utrâq; gloriosus, utrâq; Cæsar semper & victor,
utrâq; uni vellificavit Patriæ.

 Amo-

Amorem hujus,
quemadmodum primo cum lacte hausit,
sic ad busta usq; & cineres retinuit.
Ipso quoq; Ducalis Lucinæ ab ubere,
robur genorosissimi pectoris lacænum,
& ingentem illum spiritum traxit,
quem dexterrimi Duces, pluries profuderunt pro Patria.
Mavors Sarmatice!
resera hìc ferratos Capitolii postes.
Sistant Principis ad tumulum,
quorum sanguine vixit, quosq; spiravit totus;
Bellatorum prodigia, triumphales animæ,
laureati Ducum CZARTORYSCIORUM manes.
Triste mortis spectaculum,
quæsita in ipsis mortis faucibus,
immortalia summorum Heroúm serenent trophæa.
Ævô illô,
quô continua Poloniæ, Schyticis à Molosis incumbebat rabies,
donô à superis speciali datus,
THEODORUS *Dux in Klewan* CZARTORYSKI,
Luceoriensis Capitaneus.
Volhyniæ & Podoliæ, *
contra ingruentes per momenta Tartaros,
Scutum ille Ajacis, septuplex clypeus & aheneus murus.
Unum illi pectus natura dederat,
opposuisset mille pro Polonia.
Et uno tamen tantas barbarorum detinebat acies,
quantas Gerion non sustinuisset triplici.
Audi prodigia posteritas!
ALEXANDER *Dux in Klewan* CZARTORYSKI,
Palatinus Volhyniæ,
Orbem non subegit ut Macedo, plusquam Macedo fecit;
dum Polonum asseruit.
Intulit ille spolia gentibus,
spolia hic gentis suæ ingentia repetiit.
Effusos in Poloniam sæva à Propontide Charontes,
cum CONSTANTINO DUCE *de Ostrog*,
Ad

* Niesiecki tom: 1 fol, 368.

ad ipsa ferè Propontidis insecutus ostia;
Temporum fidem!
viginti quatuor Scytharum millia, uno conflictu fudit,
captivorum octuaginta vindicavit. *
Assurgite Heroi huic,
Romani Sicinii, assurgite Teagenes.
Tota pridem immortalitate coronatum,
coronis, & laureis vestris,
si tantô in Poloniam meritô sufficiunt, coronate.
Orbis Victori, qui Patris continuaret gloriam, superfuit nemo.
Immortalia Poloni ALEXANDRI gesta,
non minor Patre continuavit Filius,
MICHAEL DUX CZARTORYSCIUS.
E Ducibus oriundus, Nomen Ducis Exercituum detulit,
gessit partes, & officia implevit.
Polonum sub Kijovia Exercitum, regimini suo
à SIGISMUNDO AUGUSTO commissum,
rexit ita, ut ipsi desiderarent Reges,
non ut meliùs regere possent.
Bella Domini sui, cum inibi plura perageret,
formidabilis ille Poloniæ Draco, *
expertus est CZARTORYSCIUM, & Ducem & fortem,
ingemuitq; se, non semel à MICHAELE profligatum.
Moschua
Carthago illa Romæ nostræ, quò vicinior, eò infensior,
malleum in MICHAELE suum, in JOANNE,
omnium STEPHANI BATOREI Regis,
expeditionum comite, victoriarum comparte maxima,
renatum contra se Scipionem sensit;
non minùsq; coram JOANNIS Agno tremuit,
quàm suus coram MICHAELE tremuerat Draco.
NICOLAUS Princeps, VOŁHYNIÆ Palatinus,
contra Turcas, Valachos & Svecos,
gloriosissimus in Livonia & Moldavia Bellator, *
Martem domi armabat aurô, hostes foris vincebat ferrô.
Blandire tibi, de tuis Roma Metellis, & Scipionib9.
Tot Scipiones, Metellos, servatoresq; Camillos,

B2 nostra

* Kołaiowicz p. 2. lib. 7 fol. 385. * Stemma Moschoviæ. * Niesiecki tom: 1 fol. 371.

noſtra habuit & habet Polonia,
quotquot Duces CZARTORYSCIOS.
Tantorum Bellatorum & Poloniæ Defenſorum,
Abnepos, Pronepos & Nepos,
Celſiſſimus cui parentamus PRINCEPS,
genuinas eorum imagines, non coloribûs in ſe depinxit,
ſed factis expreſſit.
Virtutum quibûs claruerunt, geſtorum quibus Orbem implêrunt, amoris quô in Patriam certârunt, meritorum quibûs Poloniam ornârunt, omnia unus compendia detulit.
Armorum eos trophæis, ideo ſolùm non æquavit,
quòd Polonam ſuo ævo Bellonam, plus oleæ, quàm laureæ oblectarent.
Quanquam verò
defuerat ſua heroicæ virtuti occaſio,
ardentiſsima tamen, nec vota defuerunt, nec affectus.
Lechicis pro Pergamis,
iviſſet ſuus millenas in acies Hector, ſi Græciam, ſi æmulum
objeciſſes Achillem.
Marte ergo cum minùs licuit,
triumphali Pallade, Polonæ obſequebatur fortunæ.
Tripos ipſe conſiliorum aureus,
tot præſidiîs firmavit Rempublicam, quot prudentiſsimîs cônſiliîs.
Patris demùm per omnia æmulus, vixiſſe voluit.
Æquavit Patrem virtutibûs, contemptu honorum ſuperavit.
Ille Palatinam Cracovienſem ſprevit Curulem,
Hic omnes;
Uterq; inde omnibûs altior Curulibûs.
Magnum enim delata poteſtas, majorem contempta probat.
Senatorias citra Trabeas,
quas meruiſſe maluit, quàm habere
trabeatus Poloniæ & Civis & Conſus,
Regno animam, Civibus ſalutem dedit,
cum Jus gentis Varſavienſibus ſubſcripſit in Comitiis.
Enim verò
Lex boni ordinis; ordo Rerumpublicarum anima.
Suprema populi ſalus, legum fundamentis innititur.
DO-

DOLOR
Magni Ducatûs Lithuaniæ.
Lugentibus Polonis Aquilis,
accurre Lithave Sonipes!
Armigeris Jovis alitibus, non excutiunt lachrymas
Solis cunabula, excusserunt Principis busta.
Martium Poloniæ genium, quem nulla vis armorum fregit,
fregit tandem vis immensa doloris.
Ictibus his,
exhibe Tu quoq; patentes cataphracti pectoris rimas,
Mitrate Ducalis Eques.
Mavors Tibi cum Polonia communis,
sint quoq; Castra doloris communia.
Dolendi certè occasio, quemadmodum utrinq; gravis, sic eadē utrinq;
cùm CELSISSIMUM qui lugendus venit PRINCIPEM,
non minùs tu suum desideres, quàm regnatrix Aquila suum.
O Gentes Inclytæ!
Dividere inter vos dolorem vellem, ut minor esset divisus;
nisi solæ jungere velletis, ut auctor sit unitus.
Pallens ergò pagina,
quæ Poloniæ excepit lachrymas, excipiet ô Lithvania & tuas.
Solum illa Principi natale dedit, Tu originem & Solia.
Et licèt non tenuisti PRINCIPEM in cunis,
eas tamen potiori vindicas jure,
ex quo
prima à Te incunabula & primos sumpserunt ortus,
PRINCIPES CZARTORYSCII.
Ducalis hæc Propago,
Lithvanum ita semper respicit Ducatum,
ut ingentia, toto diffusa Orbe flumina suas scatebras, vel dispersi
quoq; versùs radii, suum & lucis omnigenæ fontem.
Qualis demum inter Solem & radios, Ærythrum & gemmas,
talis Magnum inter Ducatum,

&

PRINCIPES CZARTORYSCIOS,
decoris, pretii, æstimationisq; intercedit reciprocatio.
Natales quos Principibus Lithvania dedit,
impensa pro solo natali vita rependerunt.
Pro Fascibus, Purpuris, Mytrisq; Ducalibus,
purpurarũ decora, togæ & sagi ornamenta, gentis reddiderunt præsidia,
Lithvanæ toties & gloriæ & fortunæ, vel Auctores vel Vindices.
Cassium & Brutum,
clarissimos Romanorum Assertores, se uno certiùs superavit,
JOANNES DUX CZARTORYSKI;
Qui
Sigismundum Lithvanorum Ducem, quòd tyrannica Caligulæ vota,
Lithvano impleret in soliô, & solio exuit & vitâ.*
Poterat profectò hîs Patrui artibûs,
parari firmariq; propter JOANNEM Imperium,
nisi Civium & Patriæ amorem, omnî cariùs æstimâsset Imperiô.
Quid alios memorem? Ducibus è CZARTORYSCIIS,
vitæ & fortunarum impendio, togâ & sagô de Lithvania meritissimos.
Tristium hic libellus est, non Fastorum.
Brevis eos non capit pagina, totos qui implêrunt annales.
Sæculis expectatum, quia sæculorum omninò negotium,
Lithvaniæ cum Polonia unio,
Summa JOANNIS & ALEXANDRI,
DUCUM CZARTORYSCIORUM, *
Varsaviensibus Regni in Comitiis dexteritate cæpta,
non minorî deinceps continuata studiô,
sub SIGISMUNDO AUGUSTO, opus sanè augustissimum,
maxima utriusq; gentis & prosperitate & lætitia,
in Lublinensi Ordinum Congressu consumata,
Ducis utriusq; manu subscripta,
pares Regnorum Conditoribus CZARTORYSCIOS fecit;
cum in idem redeat:
Regna sive condas, sive unias,
Ita pœne,
Divi CZARTORYSCIORUM Aborigines,
tantum pro integritate, incrementis & fortuna Lithvaniæ laborârunt,
ut

* Cromer lib. 21. * Kołaiowicz par: 2.

ut nisi,

præclara Majorum de Republica merita, succedaneam quoq; cum censu gloriæ in posteritatem defluerent, posteris nullum prorsùs, meritorum reliquisse campum viderentur.

Invenit tamen,

industrius PRINCIPIS in Patriam amor,

quomodo se in Patriam operosum exhiberet, non otiosum.

Non minor suîs Majoribûs PRINCEPS;

dum Majores suos æquare contenderet, fecit maximos;

ea gloriæ accessione, quam generosissimus continuando Abnepos, reddidit auctiorem.

Divorũ nempe Aboriginum, subsecutus ætatem, secutus vestigia, triumphalia illorum sæcula, intra sui limites ævi, vel retroègit, vel absovit.

Admiranda quadam metempsychosi,

Heroûm Lithvaniæ Duces, & Ducum Heroës, in se restituit.

In quibus vixerat, antequam vivere incepisset,

eorum expressione omnigena, fecit ut viverent, postquam vivere desierunt.

Iterum ergò

vidit in Eo immortales Lithvania,

quos mortales visui subtraxerunt umbræ,

Principes Celsissimos, Duces dexterimos,

Heroâs fortissimos, Vindices & Assertores suos accerrimos.

In clarissimam illam gentem,

Cujus Solia & Thronos Divis in Majoribus possederat,

digna Soliîs & Thronîs, Ducalis ornamenta animi refudit.

Fontem Nominis Celsissimi primum,

primîs coronavit amoribûs.

Patrium Lithvaniæ nidum,

& ornavit & defendit, ut Regina defendit Aquila suum.

Pluribûs in Regno titulîs, se invadentibûs;

cum omnes dimitteret, Lithvanum non dimisit.

Magni Ducatûs VEXILLIFER,

signa sua nunquam infesta, semper victricia detulit.

Maximis profectò Bellatorum Ducibus, præivisse dignus,

sub Quo Vexillifero,

tota Lithavæ gentis & gloria militavit & fortuna.

DOLOR
ECCLESIÆ.

Basilica Deorum Templa,
Sacertimiq; immortalis Numinis Penates,
suscipite vos quoq;
CELSISSIMI de obitu PRINCIPIS,
publicorum partem aliquam dolorum.
Illa Tibi profectò, quæ & amantibus proles suas Matribus,
imò majori longè pleniora amore viscera,
Matrum omnium dilectior, Ecclesia Mater.
Quidni quoq; & sensus doloris cum dolentibus sit idem?
Fœcunda culpæ sæcula,
quòd obstetricantibus Erebi furiis, profuderint quandoq;
mordacia viperarum germina, fœtusq; Camelorum Matri suæ lugendos,
dolor hic,
eousq; trementia Christiani Orbis excruciat viscera.
Fatîs demum novercantibûs,
Si genuina pignora, carissimæ proles, filii vitam pro Matre fundere parati, è sinu suo eripiantur & oculis, profundus tunc materna in viscera sævit pugio, imminetq; cordi pressura non levis.
Ita pœnè
feralia PRINCIPIS CZARTORYSCII ad busta,
magnorum Christiani Orbis dolorum, vastæ molis theatrum,
mærentis Ecclesiæ scena agitur maxima.
Una enim in urna,
clausus fons ille & aureus & multiplex.
Qui nempè
in Templorum basilicas moles,
in magnificas sacrarum Ædium structuras,
liberalissimo profluebat amne;
Luge Ecclesia!
Qui
Sacrariis pretiosas suppellectiles,
Altaribus splendidos decores,
Sumptuosa aris affundebat ornamenta; Lu-

Lugete Altaria & Aræ!
Qui
Religiosis Familiis subsidia,
Cœtibus sacris beneficia,
pupillis, viduis, pauperibus,
opes, eleemosynas, dotes,
apertô profundebat ærariô,
lugete Religiosi Cœtus! lugete Sacræ Familiæ!
lugete pauperum Orphanotrophia!
Mortalibus cineribus
insepultus ille Orthodoxæ Religionis Phœnix;
Cui
in fidei zelo, in legis Divinæ observantia;
in pietatis exemplis, in Cleri veneratione,
rara similem, vix aliqua parem sæcula dabunt;
Luge Religio!
Celsissimus hic Ducum *in Klewan* Nepos,
Filius Orthodoxæ Ecclesiæ amantissimus.
Sangvinem quem à Principe derivavit Lucina,
fudisset semper pro Ecclesia.
Dexterrimus pro focis, pro Aris acerrimus.
Quondam.
ex sanctissimo Principis Miecyslai instituto,
quoties Sacer Evangelii volveretur Codex,
evibratos Poloni stringebant gladios,
PRINCEPS CELSISSIMUS,
Heròem suum Gentilitium,
nunquam non evaginatô gladiô esse voluit;
solus pro Evangelica Doctrina in millenos iturus,
& contra Evangelii hostes, vibraturus millenos.
Plus Religionis amans, quàm vitæ,
vitam libentissimè dedisset, si poposcisset Religio.
Avita in libertate natus,
cùm faciliùs mortem, quàm ullum libertatis subiisset
dispendium;
una tamen, integrâ vitâ; voluit servitute teneri;

quâ in fidei obsequium, captivabat intellectum:
Nec etiam liberum se vivere putâsset;
nisi sic mancipatus vixisset.
Pulcherrima anthitesi, scientiam miscuit inscitiæ.
Cum omnia sciret, quæ orthodoxa docuit fides,
nil scire voluit, quod illa non doceret.
Sapientissimi aliàs & animi & ingenii,
unum sapientiæ genus à se exclusit;
privato ex sensu sapere.
Romanam Ecclesiam,
pro fidei petra amplexus; ceu cavatis in petra vestigiis,
stetit in Orthodoxa fide,
immotus unquam, infractus & inconcussus.
Locum religioni cum apud se dedisset primum,
nullum in eo habuit, composita ad faciem religio.
Summa in omnes affabilitate PRINCEPS,
summô eos odiô & indignatione habuit,
qui cavernosas mentes, larvâ religionis obtegunt,
ut errorem aliis fidentiùs imponant.
Dubites feliciorne Ulysse, vel prudentior?
Ejusmodi Syrenes,
quæ blanda auribus insonant, ut animos incantent,
animas interficiant, sine cera vitavit, dum ad aures non admisit.
Neminem pæne à consortio arcens,
arcuit eos etiam à colloquio:
qui in vestimentis ovium veniunt, intùs lupi rapaces;
quorum phræneticæ pietatis cum iste sit furor,
quòd etiam in religione varietas delectet;
ceu diversum commissa genus panthera camello,
Paulum Cephæ, Cepham Apollini miscent;
totq; schismatum scabies præposterè credulis mentibus afflant,
quot variegatos maculosæ cutis colores,
capiendis voluptate sua accommodant oculis.
Chamæleones hi, cum omnem ad se facillimè colorem trahant,
nec rubrum PRINCIPIS Purpuræ,
nec album candidissimæ mentis traxerunt unquam;
auras

auras quoq; aularum vel maximè captantibus,
& aula hìc, & aura minimè libera fuit.

Scitote sæcula!

Ducalem CZARTORYSCIORUM Domum,
simul Orthodoxæ fidei lumen, ac solis lucem vidisse.
Primis vagiens in cunis, jam suos religioni Hercules dedit.
KORYGELLO Author illius imus, pro fide victima primus. *
Ne cederet de Patris zelo Filius,
CHLEBOWICZ *Dux* CZARTORYSKI,
eodem contra Crucigeros ad Vilnam prælio,
cum Patre cecidit. *

Uni proinde fidei
quam duo in Domo CZARTORYSCIA Duces,
plantârunt sangvine suo,
quam demum cum lacte KONOPACCIÆ Materno hausit,
unam debere mentem voluit PRINCEPS;
uni totam retinuit, quousq́, & vitam,
nunquam ab una sejunctus, nunquam divisus in plures.
Posturam in religione exosus omnem,
simulationem quoq́, famosum politici sæculi idolum,
in vitæ politia admisit nullam.

Illibata in DEUM fide, in homines candidissima;
seu DEO cultum, seu hominibus officia præstaret,
pari utrumq́; teneritudine exhibuit.

Fingere, blandiri, adulari,
nec alios libens audivit.
Scapham pro scapha, lyntrem æstimavit pro lyntre.

Æquissimus libertatis suæ æstimator,
pro illius genio, semper licitum putavit,
sentire quæ vellet & dicere quæ sentiret;
nunquam conveniens censuit,
aliud sentire & dicere aliud.

Hoc vel maximè veritus,
ne quando secum non idem, vel à se esset diversus,
lingvam à corde nunquam divisit.
Rigidissima in eam adversione egit,
ut quàm fidissimum mentis suæ ageret interpretem.

* Cromer. Lib: 15. * Niesiecki tom: 1 fol. 366.

Candorem animi, & conſcientiæ rectitudinem,
fervida in Deum, Virginem Deiparam, Divosq; Cæli Indigetes,
dilectio, pietas, & devotio,
fovendo augebat, & augendo fovebat.
Romulum & Æneam nullum,
PRINCIPI huic comparaveris:
Exceſſit alterum religione, alterum ſuperavit pietate.
Vana Nomina quid calame citas?
Rudolphos Auſtriæ, Ludovicos Galliæ, Jagellones,
& Caſimiros Poloniæ, pientiſſimos Principes nomina,
reddam æmulum pietatis eorum PRINCIPEM.
Doluit Trajanus non unum amiſiſſe diem.
PRINCEPS quo non DEO laudes, piasq; precationes dediſſet,
amiſit nullum.
Horas diei ſingulas, cum regulariſſima ordinatione
in negotia curasq; diſtribueret ſæculi,
primas REGI SÆCULORUM dedit,
omnium momenta DEI gloriæ & honori.
Principum vita, populi lex & norma;
Quocunq; ſe vertunt hi Soles, ſequuntur eos ſua helyotropiā.
alius eſt amuſſis faciendi, quod Domini faciunt.
Nemo faciliùs imperat, quam qui exemplô jubet.
Pietatis proinde exercitia,
dubites! an rigidiori ſvavitate, an ſvaviori rigore,
exigebat à ſuis PRINCEPS, in quæ incumbebat primus.
Unô prorſus aulæ ſuæ exemplô,
rectumne illud? an ſiniſtrum Pöétæ de aulis expunxit dictum.
Exeat ex aula, qui volet eſſe pius.
Palæſtram quippe pietatis vidiſſes, ſi PRINCIPIS aulam.
Sceleri in ea nulli, nulli datus vitio locus.
Fæx populi, grex laſcivus, & pecus omne petulcum,
ad Augiæ hinc bubilia proſcriptum & caulam.
Adſcitus nemo in famulitium, qui à probitate deſciſceret.
Prima animadverſione & maxima,
recenſitus nemo in VEXILLIFERI comitatum,
niſi quisquis Orthodoxæ religionis,
probatæ virtutis, omnigenæq; honeſtatis ſtipendiarius.

Longe

Longè deniq; major,
pientissimi animum PRINCIPIS de cultu Divino,
quàm commodo suo solicitudo tenebat.
Indignum arbitratus,
postponi Deum homini,
officia pietatis per aulam absolvenda, suis præposuit obsequiis,
Deo priùs reddi tributum voluit, quàm sibi servitium.
Implebant hinc continua PRINCIPIS Palatium choragia,
Sanctas DEO, Deiparæq; Virgini canentium laudes,
seu Phosphorus surgeret, seu occideret Hesperus.
Hinc
Sacra Missarum sacrificia, suo in dies in Oratorio lecta,
devotione singulari, & ea pietate audita,
cujus exempla PRINCEPS exhibebat millena.
Datus hinc ab omnibus,
cultus Deo profundissimus, veneratio Clero debita,
cùm PRINCEPS omnium primus,
tam coram Deo caderet, quàm coram Clero assurgeret.
Audisti pietatis exempla, audi pænè miracula.
In avito Calvariæ hæredio,
vitam transegisse voluit PRINCEPS,
ut ad Sanctissima illa Dominicæ Passionis simulacra,
vivacissimi doloris & compassionis sensu,
mortuæ pro nobis continuus immoreretur vitæ.
Rara felicitate frustra tentata ab aliis,
cruentum SALVATORIS DOMINI theatrum,
è Palæstinæ collibus
in montes hæredii sui ZEBRZYDOVIUS transtulit.
Rariori sanctissimæ voluptatis sensu,
habuit illud inter primas vitæ & cordis delicias,
PRINCEPS CZARTORYSCIUS.
Sanctis illis à montibus
in quibus constitit, ut Orbi meliùs pateret,
Opus nostræ salutis,
mente nunquam avulsus & animo,
nec statione quoq; avelli voluit.

E Beatæ

Beatæ damnoſa exilia ſylvæ,
cum dolentiori ſemper animo ferret,
beatioris è vicinia nemoris,
reparata lætior ſpectabat, & damna & exilia,
O quàm, beatus
vitæ PRINCIPIS in terra incolatus,
in cujus ditione & Author vitæ & Redemptor conſtitit.
Viam quoq; ſalutis,
quis hominum meliùs diſpoſuerit?
quàm qui SALVATORIS veſtigia,
tam proximè habuit, & continua
ut PRINCEPS
ſeu viſitatione, ſeu meditatione reviſit.
Nec verò
Divini hæc ſpectacula amoris
è regione intueri ſatis habuit.
Primum vitæ tumulum hortus aperuerat,
Suus ut reparatæ monumenta clauderet,
alteram intra ejus pomæria introduxit Calvariam.
Ite hinc ad ſylvarum latibula aggreſte numinum genus,
innocentium oculorum ſcopuli,
Fauni, Dryades, & Napææ ludentes.
Luſus PRINCIPI nullus placuit,
niſi quem immenſus; Divinus immenſis luſit
cum doloribus amor.
Poma quoq; aurea ſervate vobis Heſperides.
Hortorum deliciæ, niſi reparatæ fructum ſalutis haberent,
nullis PRINCIPI in deliciis fuiſſent.
Non vana oculorum oblectamenta,
ſed piiſſimi voluptatem cordis, in illis quæſivit.
Intra generalis ambitum loci,
omnibus patientis Domini ſcenis, ſua proſcenia,
ſingulis veſtigiis ſuas ſtationes dedit,
ſingulis greſſibus ſua veſtigia.
Quendam dicere poteras Labirynthum, ſed non Cretæ.
Continuus eo teneri, magis gaudebat, quàm Theſeus ſuo.
Nec etiam
per ſanctiſſimos illos patientis Salvatoris viarum anfractus,
aſsiduè

assiduè sua cum aula errare timuit,
cum & ipse ejusmodi error,
dux in via salutis & optissimus esset & certissimus.
Ostendit aliquando ad molles Adonis rosas.
PIENTISSIMO PRINCIPI,
vepres & spinæ Regis dolorum cruentæ,
rosea compatientis animi corona,
maximaq; sancto fuerunt in mœrore voluptas.
Patientem Salvatorem,
omnibûs piissimæ compassionis, cùm coronaret affectibùs,
munifica demum pietate
Filium coronare in Matre voluit,
dum
Splendidum dolorosæ Virginis Sacellum,
magnîs Patris sui excitatum sumptibûs,
non minoribûs, splendidius faceret.
Pientissimos demum compatientis Redemptori suo animæ,
ut compleret dolores,
gementi in deserto turturi nidum Calvariæ extruxit,
dùm Capellam Magdalenæ.
Nostine Magdalenæ oculos!
illas Esebon piscinas,
fontes dolorum irriguos, & plenissimos lachrymarum rivos.
Ejusmodi amoris & amaroris fluminibus,
voluptate Princeps adhæsit tanta, quanta nunquā Tantalus aureis.
Accurrebat ad ea sæpe, diffluebat in lachrymas semper.
Vides contiguam Sacello Ædem!
PRINCIPIS Eremitorium scito.
Nulla illi augustiora Penetralia, quàm in his angustiis,
Nullum dilectius laqueare, quàm communes cum Magdalena ædiculæ.
Ad hoc pœnitentium speculum,
cum minimè pœnitenda ageret,
maximè hærebat PRINCEPS & componebat se totum.
Sanctissimos SALVATORIS pedes,
lavabat fletu cum lavante diffluebat in lachrymas cum lachrymante.
Relictâ pluries aulâ, ad Magdalenæ concedebat recessus,
nunquam minùs solus, quàm cum sic solus.

Dum hominum relinqueret consortia, cum toto Cælo inibat,
non aliquando loquacior, quàm inter dilectissimæ Eremi silentia.
Mutuos qui misceret sermones, neminem habens,
cum Deo, Magdalena, & anima sua discurrebat.
Linguam ab omni cùm absolveret ministerio, cordis protunc lachrymæ,
vocis habebant pondera, & linguæ supplebant munus.
Cujuslibet temporis maximam rationem habens,
pro maximis illa computavit lucris,
quæ sanctæ solitudini interstitia dabat.
Et profectò
felicissima illa momenta,
quibus quò certiùs succederet æternitas,
totam oculis pingebant, totam PRINCIPIS statuebant animo
Scitote mortales!
etiam à momento æternitatem pendere,
Discite quoq; à PRINCIPE,
recolligere per intervalla spiritum, ut ad æternitatem proficiat.
Ejusmodi profectûs,
cum ipse vivum exemplum esset,
etiam regulas præscripsit & methodum. *
Incomparabili pietati pientissima succedat munificentia.
Hanc solam felicitatem, humanâ PRINCEPS arbitratus majorem;
posse aliquid ex Deo, quod ipse acceptet rependatq;
nec alium fortunæ auctiorem censu, quàm in census Ecclesiarum
fortunam profundere;
avitas opes & collectum innocuè peculium,
quod semper honestè in suos, in Ecclesiarum & pauperum usus
profundebat piissimè.
Cælum sibi ut majori constaret pretio,
non sola illud sanctioris vitæ pietate lucrari & consequi voluit;
Junxit liberalitatē pietati; dubitas quæ in Eo major fuerit?
utraq; & PRINCIPI & in PRINCIPE par.
Alterius vivas imagines, jam Tibi Calvaria exhibuit,
Alterius monumenta ad Sanctū Christi Sepulchrū Hierosolyma habet.
Longas non Regibus tantum, scito esse & CZARTORYSCIIS manus.
Liberalitate harum, cum Princeps attigit Orbem,
quem præsentiâ attingere non poterat.
Lucer.

* PRINCEPS Author Libri cui titulus GŁOS wołáiącego ná puszczy.

Lucernam Ejus extinctam in morte nē dicito!
qui ad vitæ Tumulū & primas Solis cunas suā lampada posuit. *
Mortis quoq; vincula,
à quibus nemo mortalium liber, liberrimum subiisse crede!
qui ferreas Christianorum compedes aurô barbaris solvit. *
Divinæ Providentiæ
cum omnia, quæ in vita possedit tribueret, duplex tributum reddidit,
aliud in Polonia aliud in Silesia. *
Templa, Aras, Ecclesias,
vel à fundamentis erexit, vel ornavit, vel ditavit.
Przytkoviensem, Zebrzydoviensem, Calvariensem interroga!
alia Fundatorem, alia Benefactorem munificum dicet.
Divos Cæli & Gentis suæ Indigetes,
vivus religiosissimo prosecutus cultu, gratiîs excedendo è vivis.
Cantius & Simon Lipnicius,
profusam in se Principis liberalitatem fusiùs loquentur. *
Hyrcanæ obstinatorum pectorum ut emollirentur rupes,
aurum ad id non acetum profudit, ut meritò dubitaveris! *
pientiorne cum suæ consuleret, an cum alienæ saluti?
O viscera PRINCIPIS!
& gratiîs & charitáte in proximum plenissima.
Destitutas omnî suffragiô animas, ut non unô juvaret,
certos ad id Zebrzydoviensi & Przytkoviensi Ecclesiæ inscripsit census.
Hospitem in ditione sua ut lautiùs foveret Christum,
pauperum in Zebrzydowice Hospitale pluribûs millibûs auxit
Huc tandem vos voco!
& oculorum & cordis munificentissimi Principis unicæ pupillæ!
Deterior quas fortuna puellas pupillas fecit.
liberalitas PRINCIPIS, nec pupillas nec orphanas passa. *
Si Infula adfuisset pro Mitra,
Quem suô Myrrha habuit, alterū hôc sæculô credidisses Nicolaū.
Sacro Eum Tyaræ vertice non assecutus PRINCEPS,
liberalitate excessit.
Turpem ne prolaberentur in quæstum,
tribus ille puellis aurô suô succurrit, hic pluribûs.
Alteram singulis vitam dedisse visus,
dum honestæ in vita elocationi providisset.

F In

* Argenteam lampadem insignem ad Sepulchrum Christi D. Hierosolymam misit. * Legatum pro redimendis captivis * legatum ad Confraternitatem Providentiæ. * legatum pro Canonizationibus * pro obstinatis peccatoribus * legatum pro educandis & dotandis puellis.

In Rempublicam pariter ac Ecclesiam munificus;
qui alterutrius olim servirent usibus, ingenuos aliquot Adolescentes,
ingenuis ære suo educari voluit in artibus & moribus.
O aureas PRINCIPIS manus! tot hyacinthis plenas,
quot profuderunt beneficia.
Hæc quoq;
ut verè hyacinthina essent, ea in manus Hyacinthi consignavit.*
Claudite, si claudi potest, beneficentiæ PRINCIPIS seriem,
coram quibus sua nunquam voluit ostia claudi,
vos vos conferta agmina,
fodere nescientium mendicare erubescentium.
Dicite! obsecro dicite!
quoties & quanta comitate, dum verba pudor eriperet
animum vobis benignissimus firmaverit PRINCEPS,
magisq; à vobis requiri quàm rogari voluerit,
ceu debitum alienum redderet, non exhiberet beneficium.
Optimi ita prorsus Principes,
Felicitatem hanc in summo computant, infelicitatem alienam,
fortunâ suâ effecisse felicem.

* Rdissimi Łopacki Archipresbyteri Infulati Cracov: Execut:

DOLOR
Domûs Celsissimæ.

Tandem à Deorum Aris, sacrisq; penetralibus
ad Solis commigra Regiam publice dolor,
Stationem hic Tibi nullam concederem.
nisi ipsum quoq; luminis fontem, umbrarũ quandoq; caligo invaderet,
sudum Cœli nubes, aëris malatiam confunderent fulmina
Ordinarius iste rerum in Orbe stylus;
misceri tristia lætis,
Plejades succedere Helcyoniis:
& quo major præfulsit serenitas, eripiente splendorem caligine
tanto majorem sequi post gaudia luctum.
Justa inter PRINCIPIS VEXILLIFERI Parentalia,
maximo dictorum argumento es
Celsissima Ducum CZARTORYSCIORUM Domus,
publicorum ad præsens dolorum, meta, scopus, unaq; compendiũ totũ.
Exeunt è mari flumina, revertuntur in mare.

Flumi-

Flumina lachrymarum publiciq; doloris pelagus ingens,
postquam Poloniam, Lithvaniam & Ecclesiam inundavit,
totum ex quo prodiit in fontem, tota vastitate relabitur.
Solis Regiam Te dixi, ô DOMUS CELSISSIMA.
Ob desideratissimi jacturam PRINCIPIS,
eorum jam mihi Oceanus dolorum videris;
quibûs, cùm gemmas, unionesq́ amittit, totum æstuat mare,
& fremunt omnia littora Ponti.
Sistite! tantisper sistite! hispidæ mæstarum frontium nubes,
sistite gementium cordium æstus & procellæ!
CZARTORYSCIANÆ Domûs Oriens,
ipsas serenitates profundit, primū diluculū, Soles Serenissimos:
A PALÆMONE LITHVANORUM DUCE,
quotquot sua succedentes serie Lithvania Duces numerat,
DOMUS CZARTORYSCIA,
horum omnium PRONEPTIS, ABNEPTIS, & NEPTIS dicenda,
Tot eam Soles, quot Lithavi Rectores Solii genuerunt.
GEDIMINUM, sive ut alii malunt OLGERDUM,
primum Parentem habuit,
utroq; felix, utroq; trabeata;
Ducum Lithvaniæ primorum Filia, subsequentium Parens.
Soles Regnorum, in ea inquiris?
non tantùm Regnorum, etiam Imperiorum habes.
Alios genuit, aliis suas Genitrices dedit.
VLADISLAUS, SIGISMUNDUS, AUGUSTUS,
tam certò illius Filii, quàm certò CZARTORYSCIORUM Fratres *
IMPERATORUM Orientis,
à Basilio Macedone usq; ad Constantinum,
IMPERATORUM Occidentis
à Friderico usq; ad Leopoldum,
per ANNAM VLODIMIRO DUCI Russiæ nuptam,
& per CYMBARCAN sive CÆCILIAM
ZEMOVITI DUCIS MAZOVIÆ Filiam:
REGUM POLONIÆ
à CASIMIRO primo, usq ad JOANNEM CASIMIRUM,
per MARIAM DOBROGNIEVAM, CASIMIRI primi Consortem,
affinis, consanguinea, colligata,
tantis semper splendoribûs fulsit, ut non majoribûs Solis Regia.
A SWIDRIGELO Magno Duce Lithvaniæ,

 Ducatu

* Iuxta Privilegium datum Budæ 1442.

Ducatu in KLEWAN dotata,
à VLADISLAO & SIGISMVNDO Poloniarum REGIBVS
penes Ducalia arma manutenta;
Purpuratum fons, Mytrarum alveus, honorum omnium
quoddam à sæculis receptaculum.
Post datos Poloniæ Reges, Lithvaniæ Magnos Duces,
utriq; demum Senatores & Ministros continuò dedit.
Ducum, Principum, Heroum, Bellatorum fæcunda Mater;
ad feralia VEXILLIFERI Castra, matrem agit dolorosam.
Abavum illi in IOANNE, Avum in Michaële Volhyniæ Palatino,
Patrem in Carolo Succamerario Cracoviensi;
in FLORIANO Archiepiscopo Gnesnensi, in MICHAELE
Sandomiriensi Palatino, par Fratrum nobilissimum;
in THECLA OGINSCIO Exercituum Lithvaniæ Duci, & HELENA
MYSZKOVIO Sándo: Castellano nupta, duas Sorores dederat.
Funera tot Ducum, olim acerbissimè tulit,
geminari ea in VEXILLIFERO non sine gemitu videt.
Redundat in vos pars doloris maxima,
CELSISSIMI PATRUELES.
Præsuleo Tuo pectori Crux nova doloris incumbit,
Celsissime THEODORE, Posnaniensis Præsul.
Qui animo omnem supra fortunam emines,
teneris mæsti cordis angustiis AVGVSTE Russiæ Palatine.
Tecum Phæbo, Cynthia quoq; SIENIAVIÆ Consortis pallet.
Gemitus non gemmas Annulo Tuo consignas
Dux FRIDERICE! M. D. L. Procancellarie.
Spectas ad hæc doloris castra,
cum Bellatorum maximo PONIATOVIO; Palatina Masoviæ.
Vos vos demum, quos pallens pagina non capit,
diffusæ orbe ferè toto, Ducales, Principes primæ Familiæ,
cum paginam non impletis Nominibus, complete mæroribus scenam.
Solis occasum nox horrida sequitur, Magnorum Virorum obitum,

PUBLICI DOLORES;
quemadmodum

PRINCIPIS
VEXILLIFERI.

